

gentis virique, et animum vel bello vel paci paratum, dextra data fidem futurae amicitiae sanxisse. Inde foedus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. Aenean apud Latinum fuisse in hospitio: ibi Latinum apud penates deos domesticum publico adjunxisse foedus, lilia Aeneae in matrimonium data. Ea res ubique Troianis spem affirmat tandem stabili certaue sede finiendi erroris. Oppidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium appellat. Brevi stirps quoque virilis, ex novo matrimonio fuit; cui Ascanium parentes dixerunt nomen.

## CAPUT II.

Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum sibi advenam aegre patiens, simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. Neutra acies laeta ex eo certamine abiit. Victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisere. Inde Tursus Rutulique, dispersi rebus, ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt: qui, Caere, opulento tum oppido, imperitans, jam inde ab initio minime laetus novae origine urbis, et tum nimio plus, quam satis tutum esset accolis, rem Troianam crescere ratus, haud gravatim socia arma Rutulis junxit. Aeneas, adversus tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine, omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit. Nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aenean cessere: fretusque his animis coalescentium in dies magis ducrum populorum Aeneas, quamquam tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiae longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, fama nominis sui impletset; tamen, quum moenibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde proelium Latinis, Aeneae